



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 1. Quisnam est Minister hujus Sacramenti?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

C A P U T IX.

De Ministro Sacramenti Eucharistia.

Quaest. I. **Q**UINAM est hujus Sacramenti Minister ?

Resp. Duplex in hoc Sacramento distinguendus est Minister. Alter est Minister confectionis ; Alter distributionis , seu dispensationis Eucharistiae. Minister confectionis est solus Sacerdos ; *Ad Presbyterum* , inquit sanctus Isidorus relatus in Canone , *pertinet Sacramentum Corporis & sanguinis Domini in altario Dei conficere* , quia solus Presbyter consecrare potest.

Can. Perlecc-
tis, dist. 29.

Ratio petitur ex hujus Sacramenti dignitate ; ut enim ait Divus Thomas , *Hoc Sacramentum est tanta dignitatis , quod non conficitur nisi in persona Christi. Quicumque autem aliquid agit in persona alterius , oportet hoc fieri per potestatem ab illo concessam. Sicut autem baptizato conceditur à Christo potestas sumendi hoc Sacramentum , ita Sacerdoti , cum ordinatur , confertur potestas hoc Sacramentum consecrandi in persona Christi. Per hoc enim ponitur in gradu eorum , quibus dictum est à Domino , Hoc facite in meam commemorationem : & ideo dicendum est , quod proprium est Sacerdotis conficere hoc Sacramentum.*

D. Th. 3. p.
q. 82. art. 1.
in corp.

Pertinet etiam ad Sacerdotem hujus Sacramenti dispensatio. Presbyter , ut habetur in Canone , *per semetipsum infirmos communicet.*

Can. Pervenit.
De Consecr.
dist. 2.

Potest tamen Diaconus administrare Eucharistiam urgente necessitate , ut dicitur in Ca-

Can. *Presente*.
dist. 93.

none. Presente Presbytero, Diaconus Eucharistiam Corpus Domini populo, si necessitas cogat, jussus exoget. Et in Concilio Eboracensi anno 1194. cap. 4. sic habetur. Decrevimus etiam, ut non nisi summa & gravi urgente necessitate, Diaconus Corpus Christi cuiquam exoget.

Quaest. 2. Requiritur-ne status gratiae ad administrandum Sacramentum Eucharistiae?

D. Tho. in 4.
dist. 23. q. 1.
art. 3. *quaesti.*
1. ad 2.

Resp. Est omnino necessarius, ita ut qui dispensaret Eucharistiam in statu peccati mortalis, peccaret graviter, ut enim ait Divus Thomas, Ad reverentiam ipsius in dispensante hoc Sacramentum, non solum exigitur sanctificatio morum, sed etiam Sacramentalis sanctificatio. Vnde & manus Sacerdotis unctio sanctificatur. Si enim Deus exigat tantam sanctitatem ab illis, qui altare propius accedunt, ut secundum sanctum Antoninum, Quo-

S. Anton. in
Confessionali
in 3. p. inter-
rogationum
de Clericis
cap. 11.

tiescumque quis exequitur officium alicujus Ordinis in mortali, ut Acolythatum, Subdiaconatum, & hujusmodi, mortale est. Quanto magis asserere debemus, eum qui in peccato mortali hoc Sacramentum administrat, reum esse peccati mortalis, quippe qui propius ad res sacras accedat, quam Acolithus, aut Subdiaconus, qui circa vasa, aut circa materiam hujus Sacramenti parandam versantur.

Quaest. 3. Quibusnam administrari non debet Sacramentum Eucharistiae?

S. Th. in 4.
dist. 9. art. 5.
in respon. ad
1. *quaest.*

Resp. Ex Divo Thoma, Si peccatum est manifestum, debet denegari Eucharistia, sive in occulto, sive in manifesto petat. Idem habet Divus Bonaventura.

S. Chrysoft.
homilia 83.
in Matth.

Sanctus Joannes Chrysostomus ait: Non parva vobis, scilicet Sacerdotibus, imminet poena, si quem aliqua improbitate teneri